

suprà fuit allata: quia videmus naturaliter sic fieri: ut principiata sequatur principiorum naturam. Ex elementis generantur corpora elementaria: & unumquodq; sibi simile procreat. Qualis igitur terrenus est, tales erunt terreni: & qualis cœlestis, tales cœlestes. Evidens verò hinc est: non de substantiæ, sed de qualitatum diversitate loqui apostolũ. Qualis verò terrenus homo post lapsum? & quales ex se generavit? Fuit animalis, generabilis, corruptibilis, mortalis, terræ debitus. Tales igitur nos ex terreno nati. Qualis verò cœlestis homo post resurrectionem? & quales suos regenerat? Spiritualis, gloriosus, incorruptibilis, immortalis. Tales igitur nos ex eo erimus: Hoc est, quod sequitur.

49. ET SICUT GESTAVIMUS IMAGINEM) *illativè, pro dicitur, igitur.* Est enim hæc illatio argumenti supra positi, qua disertè totum exprimit, quod de præsentè & futuro statu corporum nostrorum tenendum est. Quandoquidem enim qualis terrenus fuit, tales etiam terreni jam sunt: & qualis cœlestis est, tales etiam cœlestes futuri sunt: indubium est, in præsentè vita nos, qui ex Adamo terreno trahimus originem, terrena corpora gestare: & rursus in futuro, quotquot Christi cœlesti spiritu regenerati, eidemq; infiti sumus, cœlestia corpora gestaturos esse. IMAGINEM TERRENI ET COELESTIS) Rursus dicit, ut de cõditione & qualitativibus, non de substantiis corporũ diversis eum loqui intelligamus. *Gestare imaginem* est conformem esse. Non dicit: gestavimus corpus: ne de substantiarum sed de imaginis seu qualitatum diversitate loqui intelligatur. Respicit verò ad primam hominis originem. Gestabat is primitus imaginem Dei: sed per peccatum eam excusam induit imaginem aliam peccatricem: ad quam genuit filium Cain, & omnes posteros. Imaginem verò illam Dei perditam Christus nobis restituit, at-

A que in resurrectione corporibus nostris rursus induet, quando gloriosa fulgebunt.

50. HOC AUTEM DICO FRATRES, CARNEM) Exegeticè hæc accipi possunt: quod exponat quid sit gestare imaginem terreni & cœlestis Adæ, cū ait: *hoc autem dico.* Simul verò argumento novo probat, quod de corporum resurgentium futuro statu, à præsentè conditione multum diverso dixerat, repugnantibus: caro & sanguis, ut nunc sunt corruptibilia, regnum Dei ingredi non possunt. Et ingredientur tamen, juxta oracula prophetarum, & promissiones Christi. *Mortui vivent: dormientes in terra exsurgissentur, hi ad vitam aternam, &c. Recipiam vos ad me, &c. Venite benedicti Patris mei, &c.* Ergo necesse est corpora mutari, & exuere corruptibilitatem. *Assumptionem* supponit ut notam & certam ex scriptura: vel certè in versu præcedente posuit: *gestabimus imaginem cœlestis.* Maiorem verò exprimit cum emphasi: quia *fratres* vocat: & attentionem excitat, dicendo magnum aliquid; *Hoc autem dico.* Per *carnem & sanguinem* intelligit hominis naturam, ut est in statu peccati, viciatam & corruptibilem; quomodo Christus Matth. 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus cœlestis.* Plerunq; etiam solo carnis nomine intelligitur natura vitiosa, ut: *Quod ex carne natum est, caro est, &c. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt:* modo caro vocatur natura humana ut est infirma, caduca, ut: *Omnis caro fœnum:* *Ios. 40:* modo, ut est per se: *Verbum caro factum est. Deus manifestatus est in carne. Christus mortificatus est carne, &c.* Sic etiam caro & sanguis de natura per se dicitur, Hebræor. 2. 14: *Quoniam pueri carnem & sanguinem habebant, ipse factus est eorundem particeps.* Hic de vitiosa carne intelligitur. Sed quæ ratio est, cur possidere regnum Dei non possint? Propter repugnantiam corruptibilis & incorruptibi-

Iesa. 26.
Iohan. 5.
Ioh. 14.
Matth. 24.

Iohan. 3.
Rom. 8.

Ios. 40.
Ioh. 1. 14.
1. Pet. 1.